


Pu. Sum filius, quoius parentes ferant dolores maximos.
 Vide, consul atque exaudi me, supplico.
 Me. Edepol ego humilitatem despicio. — Pu. Ubera
 Lupae tu suxisti, Metelle. Impellis pol me ad ultima.
 Furor mi in venis aestuat. Noli movere te loco;
 Heu te durissimum! Aut mihi petenti facias satis,
 Aut... — Me. Etiam tu audes audax minitarier?
 Pu. Nihil me perterret; audacem fecit desperatio.
 Aut da sis auxilium aut iam mortem oppetes.
 Me. Lymphatice, abiice sicam! — Pu. Morieris! elige
 Sine mora; nihil valet hic ratiocinatio.
 Tempus brevest, habeo armatam manum.
 Me. Et vita mihist matura et meum factumst officium.
 Pu. Em lapidem verbero, Hoc sum praemeditatus animo.
 Eheu pater, ego non sum causa mortis tuae.
 Me. Hoc est mihi, Publi, commune cum tuo patre,
 Quod neque is neque ego formidamus necem.
 Pu. Optumest. Post exactum tribunatum aput populum
 Adpella me sis. — Me. Nunquam gentium. — Pu. Non sum tam sor-
 didus.

Ut facta velim negare, vel me expurgem.
 Me. Quae nunc hic facta sunt, nihil de hac re tertius
 Quis cognoscat; nam quid hoc curet alius?
 Ego pol ignosco tibi. — Pu. At ego mihi non item.
 Ego accusator exsistam mihi. Populum cognoscere
 Oportet magnitudinem Metelli. Iam avolo.
 Me. Ohe quid vis, inconsiderate? numne hoc nuntio
 Tute ipse vis pectus tui patris transfigere?
 Ne hoc, ingrate, aude. Num hac affectum illum maestitia
 Oportet Romam linquere? Sic gloriam suam
 In hereditate tibi relinquere non poterit.
 Viden, quo temet impetus animi vixerit?
 Redi sis ad' te, esto dignus tuo patre,
 Per eius gloriam laudemque cogo ted, ut taceas.
 Pu. Dolores equidem in pectore patior maximos,
 Quod fecerim me indignum, qui a ted aestumer.
 Me. Es sanus? Optume. Audi, quae sum dicturus tibi.
 Ego pol non illum magnum puto, qui motibus
 Animi et ad bona et ad mala huc illuc ducitur,
 Etsi facta ipsius demonstrent vires maxumas.
 Nam casus est eius dominus et ipse cannae fistula,
 Quae vento flectitur. Ego pol eum magnum voco,
 Qui voluntatem bonam officiorum diutina
 Exercitatione partam praefert animi motibus,
 Qui obsidionem substituit et pugnam, vicerit.

(Ad proximum numerum)



Pauca exemplaria reperta sunt
IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Aprili MCMXXXVIII

Fasc. IV



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticana*, *Città del Vaticano*.

CHRISTIANORUM POËTAE

De Sodomae et de Iona poëmatibus

Constantiniani epigoni licet inter se discordes, in abroganda tamen idololatrica superstitione coniuncti, ea tempora instauraverunt, in quibus viri docti ab ethnico cultu abhorrentes, ex Sacris Scripturis argumenta deduxerunt, quae vergilianis exometribus expolirent.

In his poëmatibus nobilem locum tenent *de Sodoma* et *de Iona* poëmata ignoto poëtae adscribenda, qui secundo medio, quarti saeculi a reparata salute, tempore labente, floruit. Poëma *de Sodoma* supremum illius urbis fatum ex Genesi (v. 1-29) depromptum, versibus hexametribus 166 luculenter canit; alterum poëma *de Iona* fatum a Ninive poenitente repulsum exornat. Opus id versibus 105 constat, neque totum argumentum exhaustum, quod in Iona libro narratur, unde inferri potest opus interruptum fuisse, nam de Ninivei poenitentia et de venia a Deo concessa, poëta nil tradidit.

In eodem codice poëmata leguntur claramque similitudinem sermonis, styli, metri exhibent non solum, sed etiam structurae et formae, quibus materies e Biblia desuma producitur.

Hic non est improbanda ariditas in exor-

nando argumento, sed quaedam nobilis audacia, qua episodia rhetorica facundia panguntur, cuius rei causa biblica versicula (1-16, cap. I) in libro Iona, hexametra 19-97 in synonymo poëmate complent. Enumerantur itaque 78 hexametra pro 13 biblicis versiculis.

Mare mortuum in poëmate de Sodoma et *mare turbidum* in poëmate de Iona nobilibus hexametribus descripta sunt, iisque coloribus picta, quibus non indignaretur Horatius. Accipe versum 91 *Iona*, quo Ceti rabies describitur:

Cumque viro (Iona) caeli rabiem pelagique voravit.

In *Sod.* 139 (agitur de mare mortuo):
Nec mare vivit ibi, mors est ipsa maris pax.

Mendae non desunt; eae tamen non poëtae, sed librario adscribi debent, qui aliquando concinnitatem scriptoris corrupit.

Hic canendi modus similitudinem praebet cum illa *Evangelica historia* quam Iuvencus hispanus cecinit hac eadem mente:
Versibus ut nostris divinae gloria legis ornamenta libens caperet terrestria linguae.

(Iuv., *Ev. Hist.*, IV, 185).

Ergo linguae ornamenta quae olim pudenda Veneris, Martis, Iovis cecinerunt, nunc, mutato argomento, *divinae legis gloriam* cantabunt.

Immo, scriptores isti, seu apologistae seu poëtae, ab ethnicis Rhetoribus litté-

rarum politiorum rudimenta acceperant evangelicamque Fidem aetate iam projecti amplexati sunt, et ipsam divinam gloriam Summi Dei canentes periphrastico eloquio usi, Deum nostrum *summum tonantem*, non minus quam Vergilius, appellant. Nec mirum; vas enim primum odorem infusum redolet. Quum imperii gubernacula in manus Constantinorum epigonum devenerunt, respublica ex ethnica, christiana facta est, nec idololatris iam licitum erat publice idololatricum cultum profiteri; bona, emolumenta a paganis sacerdotibus templisque ablata fuerunt et christianis concessa. In urbibus nulla erat facultas idolatriae profitendae; qua de causa ii qui nullo pacto idolorum cultui nuncium dare volebant, ad pagos vicosque confugerunt, unde nomina opposita extiterunt: christianorum et paganorum.

Lucta acerrima poëtas inter exorta est; nam Christiani scriptores publice idololatrica mysteria detestabant, evangelii effata exornantes, ut videre est apud Gennadium et apud Iuvencum; Pagani scriptores contra, quod in *Itinere Namatiani* deprehendimus, christianorum sacra depellebant, idololatrica exaltabant. In his scriptoribus poëta Sodoma et Iona nobis ignotus, locum dignissimum sibi vindicat biblicam materiem exornando.

Utinam in nostris scholis, et in seminariis praesertim, scriptorum latinorum Mediae aetatis sapientia discipuli imburentur. Ex iis enim cultum nostrum accepimus, non ex Cicerone, non ex Vergilio tantum; scriptores isti sunt qui « Communia » semina inter barbaros atque latinos deposuerunt; quae omnia humanistae antiqui recentioresque obliti sunt; itaque factum est ut nostra latini sermonis monumenta, quae Media aetas genuit, foedo pulvere tecta, in magistrorum — heu pudor! — et alumnorum oblivione iaceant.

Dabam Ereti.

ALEXANDER AURELI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De syntaxi peculiari quorundam vocabulorum.

a) Syntaxis verbi cum nominativo saepe fit, non grammatice, sed logice, cum numero, tum etiam genere. Item syntaxis relativi cum antecedente, etc.

EXEMPLA: Pars stupet donum Minervae et molem *mirantur* equi (VERG., *Aen.*, II, 31) — Impia *turba probant* factum (Ov., *Met.*, III, 629) — Magna *multitudo* undique ex Gallia latronum *convenerant* (CAES., *Bel. gal.*, III, 17) — Magna *vis* eminus *emissa* telorum nostris vulnera *inferebant* (CAES., *Bel. civ.*, II, 6) — Quum Sempronio servorum *exercitus datus esset*, brevi effecit disciplina atque imperio, ut praesidio sociis, hostibus terrori *essent* (TIT. LIV., XXII, 2) — Vibius Serenus qui patrem insidiarum Tiberio structarum accusaverat, scelere vecors, et *vulgi* rume territus, robur et saxum Tarpeium aut parricidarum poenas *mimitantium*, cessit Urbe (TAC., *Ann.*, IV, 29) — Undique visendi studio Troiana *iuentus circumfusa* ruit, *certantque* illudere capto (VERG., *Aen.*, II, 64) — Alma parens, me per alterius *mactatos* sanguine cernam (VERG., *Aen.*, II, 667) — Dum *concursant* familia, ille furens filii pectus gladio transigit (PHOEDR., III, 10) — Chorus Dryadum clamore supremos *implerunt* montes (VERG., *Georg.*, IV, 460) — Apud veteres Aegyptios, *quod genus* hominum constat et in artibus reperiendis *solentes* existisse, et in cognitione rerum indaganda *sagaces*, furta omnia fuerunt licita et impunita (GELL., XI, 18) — Decernitur in senatu ut *uterque* in regnum *restituantur* (IUST., 38, 3) — Quum *alius* alii subsi-

¹ Cf. fasc. sup.

dium ferrent, audacius resistere cooperunt (CAES., *Bel. gal.*, II, 26) — Desectam segetem magna *vis* hominum *immissa* in agrum *fudere* in Tiberim (TIT. LIV., II, 5) — Idem generi humano evenit, quod in terra *collocati* sunt (CIC., *Nat. deor.*, II, 6) — Nec supplex *turba timebant* iudicis ora sui (OVID., *Met.*, I, 93) — Cetera *classis*, praetoria nave amissa, quantum quaeque remis valuit, fugerunt (TIT. LIV., XXXV, 26) — Iam omnia hostium plena erant, et nata in tumultus *gens truci* cantu clamoribusque variis horrendo cuncta *compleverant* sono (TIT. LIV., V, 37) — Militum magna pars *vulnerati* aut *occisi sunt* (SALL.) — Haec non in occulto, sed pro palam in foro ingens *turba circumfusi fremebant* (TIT. LIV.) — Pars in crucem acti, pars bestiis *objecti sunt* (SALL.) — Eorum *utramque* audivi, quum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent (CIC.) — *Capita coniurationis* virgis *caesi* ac *securibus percussi* sunt (TIT. LIV., X, 1) — *Millia* triginta servilium capitum dicuntur *capti* (TIT. LIV., XXVII, 17) — *Servitia* urbem ut incederent coniurarunt, populoque ad opem ferendam tectis intento, ut arcem Capitoliumque *armati* occuparent (TIT. LIV., IV, 45) — Duae *legiones*, undecima et octava, profligatis Veromanduis, quibuscum erant *congressi*, ex loco superiore in ipsis fluminis rupis *praelabantur* (CAES., *Bel. gal.*, II, 23) — *Uterque* me intuebatur, seseque ad audiendum *significabant* paratos (CIC.) — *Alius* alium *circumspectant* (TIT. LIV.) — Duo *fulmina* nostri imperii, Cn. et P. Scipiones, *existulti sunt* (CIC.) — Quum tanta *multitudine* lapides ac tela *coniicerent*, in muro consistendi potestas erat nulli (CAES.) — *Vestra* consilia accusantur, qui mihi *summa honorem imposuistis* (SALL.) — Id *mea* minime refert, qui sum natu maximus (TER., *Adelph.*, V, 5) — *Vestra*, qui cum summa integritate vixisti, hoc maxime interest (CIC.) — Haec sunt *nosta*

acta, *quos* tyrannos vocas (CIC.) — Quod unquam huiusmodi *monstrum* vidimus qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat? (CIC., *II Verr.*, 2, 32) — Cleopatra redegit in veros timores Caesar, ab Italia volantem remis adurgens ut catenis daret fatale *monstrum*, *quae* generosius perire quaesivit (HOR., *Od.*, I, 37) — Habebam inimicum, non Marium, terrem hostium, spem subsidiumque patriae; sed duo importuna *prodigia*, *quos* egestas, *quos* aeris alieni magnitudo, *quos* levitas, *quos* improbitas tribuno plebis constrictos addixerat (CIC.).

b) Relativum quod praedicato instruitur concordat cum antecedente, si in praedicato magis vocabulum spectatur quam sensus; cum consequenti si specialis observatio adiungitur ope propositionis relativae.

EXEMPLA: Homines domicilia coniuncta, *quas* urbes dicimus, moenibus saepserunt (CIC.) — Numidae possedere ea loca, *quae* proxime Carthaginem Numidia appellatur (SALL.) — Vercingetorix Alesiam (*quod* est oppidum Mandubiorum) iter facere coepit (CAES.) — Est in carcere locus, *quod* Tullianum appellatur (SALL.) — Omnes Belgae, *quam* tertiam esse Galliae partem dixeramus, contra populum Romanum coniurabant (CAES.) — Carcer aedificatus est, *quod* domicilium plebis romanae vocare hic est solitus (TIT. LIV.) — Ariovistus ad occupandum Vesontionem, *quod* est oppidum maximum Sequanorum, contendit (CAES.) — Quoties felicitatis causa et initium fuit, *quod* calamitas vocabatur (SEN.) — Est carcer crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, *quae* Lautumiae vocantur (CIC.) — Patres C. Mucio agrum dono dedere, *quae* postea sunt Mucia prata appellata (TIT. LIV.) — Caesar ad eum accessit locum, *quam* Pharsaliam vocant — Globus ille *quem* terram homines vocant, nihil aliud est quam punctum in rerum universitate — Cassivellauni fines a maritimis civitatibus flumen dividit, *quod* appellatur

Tamesis (CAES., *Bel. gal.*, V, 11) — Homines sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, *quae terra dicitur* (CIC.) — Carcer ille *quas Latomias Graeci vocabant*, a Dionysio aedificatus erat Syracusis — Genus est quoddam hominum Spartae, *quod Ilotae vocatur* (CORN. NEP.).

c) Verba intransitiva et transitiva certos admittunt accusativos neutros. Tunc substantivum his verbis radice aut sensu simile censemur omissum.

EXEMPLA: *Id gaudeo* (TER., *Andr.*, II, 3) — *Haec nonne turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitant?* — *Ego illud assentior Theophrasto qui putat orationem non adstricte sed remissius numerosam esse oportere* (CIC., *De Or.*, III, 48) — *Equidem posse vellem idem gloriari quod Cyrus* (CIC., *Sen.*, 10) — *Sapiens est proprium nihil quod poenitente possit facere* (CIC., *Tusc.*, V, 28) — *Ea verba non easdem res significant, sed aliquid differunt* (CIC., *Tusc.*, III, 34) — *Nihil ad mortui filii nuntium a proposito aversus Horatius, precationem peragit et dedicat templum* (TIT. LIV., II, 8) — *Vitio mihi vertunt quia multa egeo; at ego illis, quia nequeunt egere* (AUL. GEL., 13, 23) — *Iam cooperant mulieres miserari parvos liberos, omnia pavere* (SALL., *Cat.*, 31) — *Unum sentitis omnes, unum studetis, Antonii conatum avertere a republica* (CIC., *Phil.*, VI, 7) — *Hoc quod te interrogo, responde — Hoc te vehementer rogo — Saepe te id monui — Metellus pauca pro tempore milites hortatus est* (SALL.) — *Desperatio audere ultima cogit* (TIT. LIV.) — *Poëta versus amat: hoc studet unum* (CIC.) — *Divi vera monent* (TIB.) — *Nihil de suo casu, multa de vestro querebatur* (CIC.) — *Neque ego hoc contendo: mutare animum* (CIC.) — *Vetus est lex amicitiae ut idem amici semper velint* (CIC.) — *Campani maiora deliquerant quam quibus ignosci posset* (TIT. LIV.) — *Idem vos quondam faciebatis — Haec atque talia agi-*

tantibus (hominibus), gravescere (= gravescebat) valetudo Augusti (TAC.) — *Hannibalem in suspicionem regi adduxerunt, tanquam ab ipsis corruptum, alia atque antea sentire* (CORN. NEP.) — *Ab amicis honesta petamus* (CIC.) — *Platonem ferunt de animorum aeternitate sensisse idem quod Pythagoram* (CIC.) — *Quanquam omnis virtus nos ad se allicit, tamen iustitia id maxime efficit* (CIC.).

(*Ad proximum numerum*).

I. JSS.

HISTORICAE NOTAE

De Italia praehistorica¹

Non una simul omnes eodemque tempore Arianos in Italiam migravisse tenuimus, sed variis successivis temporibus, variis successivis veluti undis, variis igitur cultioris vitae gradibus, quorum primus a *teramaris* et *palafrictis* nomen sumpsit et notam; hi primi intulerunt diffuderuntque per Italiam sensim sine sensu et ipsorum linguam et supellectile aeneum et ritus funebres cinerationis; in Italiam fere una simul migravere atque in Hispaniam Asiamque minorem. Primi non praestitere iis quos invenerant, cum iis sese commiscuerunt, confudere, ut unum quoddam novum mixtum genus iam exsisteret.

Succedentibus aliis Arianorum immigrationibus, illi primi, uti erant cum aborigibus permixti, ad meridionalem Italiae partem procedunt, primum qua via faciliior patebat, iuxta mare Adriaticum, in Picenum, unde, veluti bipartita acie, altera vallem fluminis Truenti et dein Velini incoluit, altera iuxta litus Adriaticum usque ad Apuliam (ubi necropolis Timmari) et ad Ionium pervenit (ubi necropolis ac *teramara* Tarenti).

¹ Cf. fasc. sup.

Prior autem successive a valle Velini in vallem inferiorem Tiberis progressa, usque ad eam regionem quae tunc primum Latii nomen accepit (patens latius regio), sese commiscuere veteribus incolis, linguam Arianam inter eos pervulgarunt moresque ritusque Arianos. Itaque Latinae uno verbo appellatae sunt gentes ex commixtis omnibus his stirpibus inter Tiberim et colles Albanos diffusae; quae omnia et traditio classica nobis conservavit, docens a valle Reatina descendisse primos, qui e regione, postea « *Latium* » dicta, Aborigines et Siculos et Ligures depulissent.

Ritus cinerationis invenitur cum ritu inhumationis in necropolis Albanis et Agri Romani orientalis; lingua latina nova elementa Indo-ariana assumit praearianis tamen et autoctonis non amissis; una cum aere adhiberi et ferrum coepit; gradus fit ad « *periodum ferri* ».

* * *

At nova Arianorum unda succedit; nova succedunt elementa cultioris vitae. Cadavera in cinerem rediguntur, sed sepultra effodiuntur (italice vulgo *tombe a pozzo*), urnae cinerariae coni formam assumunt, alia vasa funeraria accidunt, vasa fictilia, quae politionem geometricam formam induunt, aes cuditur in armis frequentius; iam scripturae vestigia quaedam apparent. Haec a Villanovae effossionibus luculenter demonstrantur: huius novae Arianorum familiae gentes « *Umbri* » appellantur: traditio classica plane concordat, ex qua Umbri vetustissimi gentium Italicarum perhibentur,² quorum dominium latissimum,³ urbes fere trecentae.⁴ Umbri primum regionem occupavere inter Arnum et Tiberim; Umbrae Atria et Spina urbes ad ostia Padi, Umbrae Ravenna et Ariminum a Strabone perhibentur; vestigia Umbra inveniuntur in ne-

² PLIN., *Hist. nat.*, 111, 14-12.

³ HEROD., IV, 49; DION. HALICARN., I, 19.

⁴ PLIN., *ibid.*

cropoli Tarquiniae, et Vulci, et Vetuloniae, et Volaterrae, et Clusii; elementa communia habent linguae Osca, Sabellica et Umbra.

Sabini a Graecia, duce Evandro, ad oras Piceni appulisse feruntur nomenque duxisse a deo gentis Samo, Sancto, vel Sabo. Constitere in Apenninica regione vallis superioris Aterni fluminis, ibique magnam condidere urbem « *Amitemnum* », cuius et nunc vestigia quaedam supersunt prope Aquilam. Inde migraverunt, circa saeculum VIII a. C. n., in vallem Velini, ad lacum Velini, unde Aborigines pepulerunt ex eorum urbe Reate; quae vetustissima urbs facta est Sabinorum caput et mater. Plures urbes considerunt circum, et successivis migrationibus, quae « *ver sacrum* » appellabantur, Sabinorum alii videntur consenseruisse vallem Saltus fluminis, commixti fuisse cum Siculis, transiluisse montes, denique in regionem descendisse, quae « *Campania* » postea dicta est, originemque dedisse Samnitibus, qui Sabelli sunt atque a Sabinis oriundi; alii vero per vallem Turani eo cossendisse, ubi Aequi et eorum urbs caput Carseoli (hodie *Carsoli*) extitere; alii demum ad meridiem et occidentem solem transactis montibus in regionem descendisse quae Sabinā dicitur adhuc, sese cum omnibus illis populis, qui extremam Tiberis vallem iam tum incolebant, permiscentes.

* * *

Eodem fere tempore quo migrationes Umbro-Osco-Sabelliae factae sunt, nova stirps apparebat, populus Etruscus, qui sedes posuit intra Tiberim et Arnum, artibusque, litteris, moribus apud omnes pulos totius peninsulae italicae late valuit: praeclera omnino vestigia Etruscae gentis magis in dies redeunt in lucem.

Disputant etiam nunc viri docti de huius gentis origine, nulli alii genti similis, uti eam appellat Dionysius Halicarnasseus, qui

eam autoctonam existimat. Herodotus probabilis tenet ipsam a Lydiis, urgente caritate rerum, in Italiam inter Umbros migrasse coloniasque posuisse, duce Tyrreno; Livius ex Alpibus a Raeticis descendisse: quidquid est, certe Umbros, circa saeculum VIII a. C. n. urgere coepit seseque diffudit per universam fere Italiam occidentalem, patuitque ex Alpibus ad Latium, imo et ad Cumas. Origine Orientali fuisse hodie graviores autores existimant, ut manifesto constat ex orientali luxu, e linguae charactere, quae nullimode ad Arianam reduci posse videatur, e ritibus funerum, ex artibus elegantissimis. Appulerunt ad oras Italiae occidentem versus, urbem caput Tarquinios condidere; progressi dein ad Aretium, Coronam, Perusias, Apenninos montes Etrusci praetergressi sunt ad Felsinam usque, ubi novum firmae civitatis centrum posuere, indeque vallem Padanam attigerunt. Meridiem versus Tiberim transiliunt, Romam ipsam occupant, Tusculum, Volscos, Campaniam, ubique sui cultus vestigia relinquentes mirifica.

Sed aliae stirpes quoque in Italiam migrarunt, inter quos Illyrii et Celtae. Illyrii per oras Italiae orientales sese diffuderunt; quandonam vero non constat; certe eo ferme tempore quo et Sabini, ni forte antea. Celtae autem postea veniunt, fortasse ex Athesis fluminis valle; pluries migrant, a VII ad V saeculum, et in Italia septentrionali consistunt.

His addendi sunt Graeci, qui in inferiore Italiae parte et in insulis colonias urbesque condidere plerasque, ut ab iisdem ea Italiae pars *Magna Graecia* appellaretur.

S. ROMANI.

- *Eget minus mortalis quo minus cupid.*
- *Eripere telum non dare irato decet.*
- *Est socia mortis homini vita ingloria.*

P. SYRUS.

LAZARUS SPALLANZANI

Lazarum Spallanzani in commentarii nostri paginis revocandi consilium fuit, ut naturae investigatoribus insigne doctissimi viri exemplum präferremus, qui inter naturalium rerum studia nec a divinae religionis tramite nec a sacerdotali munere unquam discessit, eaque mira concordia coniungi posse, clarissimis a se gestis rebus ostendit.

Scandiani, in Regiensium finibus, anno 1729, die decima secunda mensis ianuarii natus, et a patre iurisperito doctissimo in prima adolescentia humanis litteris edoctus, Regium deinde, ut rhetoricae ac philosophiae operam daret deductus est. Ibi, in collegiis Patrum e Societate Iesu, primas ex gravioribus studiis laudes retulit, post quae in celeberrimo Bononiensi athenaeo utrique iuri excolendo vacavit.

Verum hanc disciplinam brevi est persequutus. Ingenio enim resistere non valens, sese totum naturalibus disciplinis tradidit; quum Antonii Vallisnieri civis sui celeberrimi gloria ita se perturbatum adolescentem diceret, ut, tamquam Themistocli Miltiadis trophya recognitanti, nec somno indulgere liceret. Sed Vallisnieri ipsius interposita auctoritate, qui iuvenis ingenium futuraque gesta profecto divinaverat, liberam studiorum optionem a parentibus impetravit, et, quod pariter maxime ab adolescentia concupiverat, ut sacerdotio augeretur, assequutus est. Tunc se totum altioribus litteris, veterum linguis, matheseos, physicesque disciplinis dedit, et anno 1754 logicae et graecis litteris tradendis doctor in Regensi schola est renuntiatus.

Ex ea tam a Coimbricensi quam a Parmensi athenaeis frustra ut recederet vocatus, Mutinensem invitationi anno 1769 tandem accessit, qua in urbe decem annos moratus est. Tunc Papiensis civitas

eum invitavit, ut in athenaeo naturales disciplinas doceret, museoque präeesset. Ibi novem annos inter assidua illa studia traduxit, multa tentans multaque inveniens, quae ad earum progressum perutilia posteris fuisse satis constat. His minime contentus, ut traditum suae custodiae museum augeret, itinera aggredi coepit; quo consilio anno 1779, 1780, 1781 Helvetiam omnem atque interni maris litora a Labrone ad Massiliam exploravit; deinde sequentibus annis Euganeos colles, Adriatici maris oras, Aegaeique insulas Corcyram, Cytherasque, Byzantinam civitatem, atque Haemi suppositas provincias lustravit; tandem quem Vindobonam attigisset, in patriam reversus est.

Tot tantisque laboribus susceptis, in Paesiensi civitate, legens in athenaeo et arcanis naturae investigandis sedulo vacans, multaque explorans et conscribens, reliquos vitae annos absumpsit. Opera ab eo exarata Galli, Angli, Germani, suo quisque sermone vulgabant, ac celeberrimi per Europam omnem academici coetus illum inter socios adscire gloriabantur. Quin immo, post Gallicas seditiones ac perturbationes, quum exercitus Italianum pervadentes Papiam tenerent, Saliceti dux senescenti iam sacerdoti cathedralm naturalis historiae Lutetiis Parisiorum, reipublicae mandato, obtulit, quod ille munus senio ac morbis graviter iam laborans renuit. Tandem anno 1799 apoplexia correptus, die februarii decimasecunda septuagesimum agens annum obiit.


Dexteritas, qua omnibus vel doctissimis, qui illum präcesserant, antecelluit, experiendi naturae vires atque periclitandi präcipua in eo fuit, ipsaque adiuvante multa adinvenit exploravitque maioribus penitus ignota. Inquirens enim aëris atmospherici effectus in animantibus mortuis, vel in stomachi, viscerum iecorisque partibus, carbonii atque hydrogenii combustionem probavit. Pariter multiplicatis

periculis eo pervenit, ut clare ostenderet ozygenum ex aëre et acidum carbonium ex sanguine in pulmonibus commutari, viditque illud etiam vermiculis esse necessarium, quos cute aërem spirare expertus est. Eadem fere de amphibiis ostendit; nam ranam pulmonibus orbatam spirare adhuc, sandaracha contra illinitam emorvidit.

Digestionis abdita mysteria multiplicatis experimentis tum in vitro, ventris liquoribus ad rem extractis admotisque, tum in seipso, non sine gravi valetudinis periculo, revelavit. De sanguine sese circum corpus agente Malpighium et Hallerium sequutus, multa ignota exploravit, quorum pariter experimentis eductus de animantium generatione nova perspecta habuit. Foecundationes immo arte provocatas ipse primus instituit, et in lumbricis, polpis, salamandris regenerationem partium acute expertus est. In hac tamen, inito cum Needham ac Buffon certamine, *microbos* omnes qui in infusionibus vel in putrescentibus liquidis vivunt propriam habere vitam monstravit, et suis germinibus multiplicari.

In itineribus quae suscepit non tam colligendis exemplaribus animum adiiciebat, quam naturae phaenomenis explorandis. Igitur in itinere illo, quod per mare internum habuit, de ictibus piscis, cui torpedo marmorata nomen, de molliscis, de celeriteratis, denique de mari phosphorescenti lumine multa explicavit, quod deinde in Messanensi freto etiam in medusarum corporibus insidere cognovit. Ad haec, inter alia, ut physicam naturam et biologiam animantium quae in mari vivunt exploraret, anno 1783 in Veneris Portu opificium posuit, quod prima ferme zoologica statio fuit.

Diem itaque, quo italicae gloriae ac naturae studiis eruptus est, merito aequales luxerunt; eum clarissimi viri inter naturalium disciplinarum studiosos Alexander Volta, Antonius Scarpa, Antonius Vallis-



nierius, Buffon, Needham, Trembley, Bonnet, Saussure, Sénebier aliisque plures quasi oraculum colebant, et consulebant frequentissime.

De illo autem Sénebier aiebat, se Italiae gratulari et invidere, quod ipsum genuisset; Bonnet iterabat, Lazarum exiguo annorum spatio longe plura explorasse, quam multas in Europa illustriores Academias; Haller denique vir clarissimus, ipsi inscribens quartum volumen *Physiologiae* a se exaratae, paucis verbis summum eius elogium protulit, quo breves has notas concludere nobis etiam placuit: « Summo naturae in minimis et difficillimis indagatori, ob eius in veri finibus extendendis merita ».

I. ANTONELLI.

EX BATAVIA

Certamen poëticum Hoeufftianum

Accepimus, et libenter edimus:

De triginta quattuor carminibus anno MCMXXXVII ad certamen missis ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit Carmen cuius titulus: Y. Sumptibus Legati in volumen recipientur carmina q. t. Ara Pacis, Communia Vitae et Vere Novo (si poëtae scidulae aperienda dederint veniam).

Sequuntur omnium carminum nomina:
 1. Vesuviana. 2. Arachnes. 3. Alexis.
 4. Ibimus ibimus... 5. Sons insons.
 6. Virgo Sicelidis freti. 7. Fabulae Aniles. 8. Iesu nascente vota. 9. Calamus et Cyathus. 10. Ultima Cumaei carminis aetas. 11. Hollandia Victrix. 12. Y. 13. Ara Pacis. 14. Prima puellarum classis. 15. Horae. 16. Orphanorum Pater. 17. Aquileia Mater. 18. Mater. 19. In funere matris. 20. Monte Decurrens... Amnis. 21. Communia Vitae. 22. Pax Domestica. 23. Rogationes. 24. Laus Musi-

cae. 25. Caeli Lux. 26. Ad horti piscinam vespere. 27. Impavidus Sapiens. 28. Miles et Poëta. 29. In mortem Guilielmi Marconi. 30. Vere Novo. 31. Ad Europam. 32. Armamentorum Aemulatio. 33. San Remo. 34. Future Caesar, vivito!

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. MCMXXXIX mittantur ad *het Bestuur des Koninklijke Nederlandsche Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciens typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

P. SCHOLTEN,
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

Addere nobis licet auctorem carminum magna laude ornatorum, quorum tituli Communia Vitae et Vere Novo, esse VICTORIUM GENOVESI S. I., cui iterum iterumque ex animo gratulamur, gratesque reperdimus, quod, ea qua pollet erga nos humanitate, concederit, ut carmina ipsa in ALMA ROMA ederentur.

VERE NOVO

Carmen VICTORII GENOVESI S. I.

in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXXVII magna laude ornatum

Aëra per liquidum festina fritinnit hirundo,
oris reversa torridis,
implicitumque luto

provida restituit sub tecti culmine nidum;
luco comato pilant
laetitia volucres;

versicolor ridet brumali expergita somno
natura campis; herbido
terra tapete viret,

exserit et rursus vitam, radicibus imis
diu repostam, nuntians
ver rediisse novum.

Damna brevi reparat mortis natura creatrix,
frondes resumit populus,
squalida vernal humus.

Me quoque nil aevi lapsus miserantis adurget,
rugis et ala temporis
turpibus ora notat;

caesaries canet, rarescunt fronte capilli,
obtutus haeret languidus,
torpida crura labant.

Deficit heu raptim, minime revirescit at aetas,
emortuo nec vultui
purpura adempta redit.

Cum semel occidimus, dissolvet membra pu-
[trede,
involvet et silentium
relliquias hominis.

Attamen absolvi refugit mens cuncta sepulcro,
aeternitatis munera
arroget ipsa sibi.

Concidat ut corpus, divinae nuntia legis
severa et ultrix, conscientia
mens manet usque sui.

Tempora praevertit, spatio non clauditur ullo,
arcana rerum detegit,
scandit anhela polum.

Non omnis moriar! Vitae fulcimen et altor
perire nescit spiritus,
funera nec patitur

materiae domitor; praetervolat inde superstes.
Num mors adaequat improba
conditione pari

criminis expertem gaudentem et caede tyran-
[num?
Tunc iure: — Virtus, — clamitem,
nomen inane sonas!

Non omnis moriar! procumbet humili grave cor-
[pus,
sicut putrescens consitum
ubere semen agro,

pulcrior exsilit verno quo tempore vita.
Nae dormiam atro in pulvere
et resolutus agar

turbine diversus; divino didita iussu
sed membra rursus induar
sidereasque super

excipiar sedes aeterno vere beatus.
Christi insitivus surculus,
qui prior emicuit

e tumulo victor, confringam septa sepulcri,
et gloriae eius particeps,
ut modo mortis, ero.

Mors mihi somnus erit; rutilans post fata re-
[surgam!
solamen est credentibus
funeris atra dies.

Aëra per liquidum festina fritinnit hirundo,
aves sub umbra pilant,
florida ridet humus.

Vitam luxurians cantat natura perennem;
tellure vitam concinit
dia virente Fides.

PAGINA HERDERIANA

"Antike,"

Subiit in Herderiana encyclopaedia elucubratio circumlineata, quae inscribitur *Antike*. Quam Latine nominem, antequam referre incipiam Latinis verbis, quae illa pagina adstringuntur Germanice? *Antike* dicitur ab antiquitate; sed interest inter *Antike* et *Antiquitatem*. Fortasse, ut saepe alias, Galli, et nescio an etiam Itali viam aperuerint, quum illi nostra 'Antike' l'antique, hi l'antico nominaverint; quos secutus hanc paginam de 'antiquo', quam 'de antiquis' vel 'de antiquitate' inscribere malui. Sed videant me doctiores, quid pro Germanica *Antike* reddere velint: ego incipiam de antiquo dicere.

Quo collectivo nomine significari volunt quidquid Graeci et Romani habebant cultus et institutorum, et quae ex eorum ingeniosis profecta sunt monumenta litterarum et artium intra spatium annorum mille et ducentorum, ex aetate Homeri poëtae usque ad interitum imperii Romani occidentalnis, hoc est ad annum p. C. n. quadrinquentesimum sexagesimum quartum. Efflorescere illa humanitas cooperat in Graecia, ubi ille populus excellens minus numero capitum, quam ingenio, quas ab orientalibus acceperat artes et litteras, explicavit et auxit, et immortalia humani cultus artificia edidit.

Spiritus Graecorum vitor per colonos et per doctores peregrinatores mature in orbem terrae propagatus cultum Graecum, dum stetit regnum Alexandri Magni, in omnes terras interno mari adiacentes invexit. Alexandria et Pergamon, quibus in urbibus fuerunt universitates, et urbes Graecae in Seleucidarum regno sitae, ut Antiochia, ut Seleucia, sedes factae sunt novae humanitatis quem hellenismum postea dixerunt,

quod ex cultu vitaque Graecorum tamquam ex radice esset progenitus.

Graecorum heredes Romani fuerunt, ubi indoles et artes Graecorum mixtae Romanorum fortitudini, disciplinae, legi, in tantum mundi creverunt imperium, ut eo continerentur omnes populi et nationes ab Hispania et Africa usque ad Pontum Euxinum, et a Britannia usque ad superiores partes Aegypti. Et erant omnino duea eius imperii linguae: gentes orientales loquebantur Graece, occidentales Latine. Antiqui quid potuerint efficere testes exstant perennes antiquae artes, Graecorum et Latinorum litterae, ius Romanum, singularis illa disciplina militaris et rerum administrandarum temperatio Romana, maioris partis Europae ad meliorem humanitatem informatio ab Romanis profecta.

Et infinitus fere numerus est eorum nonum, quibus antiquitas commendatur. Sunt enim Socrates, Plato, Aristoteles, multi alii philosophi; sunt Demosthenes et Cicero principes oratorum; sunt Herodotus, Thucidides, Xenophon, Livius, Sallustius, Caesar, Tacitus, alii, rerum scriptores; sunt Pythagoras, Archimedes, Euclides, mathematici, astrologi, perversigatores naturae; sunt Hippocrates, Galenus, alii, medici; sunt insignes gubernatores rerum publicarum Graecorum: Solon, Pisistratus, Themistocles, Pericles, alii; Romanorum: Scipio, Cato, Caesar, Augustus, Traianus, Hadrianus, Constantinus Magnus, alii. Est Homerus, pater poësis occidentalnis; est Sappho, amatoriorum carminum poëtria; est tragoeiae Atticae trias: Aeschylus, Sophocles, Euripides; est comoediarum scriptor Aristophanes; est odarum heroicarum vates Pindarus. Et hi quidem Graeci. Romanorum illustiores poëtae sunt Plautus et Terentius, Catullus et Tibullus, Horatius, Ovidius, Vergilius, Seneca. Excellunt arte fingendi Phidias, Praxiteles, Lysippus, Myron, Apelles Graeci. Excellunt inter Romanos sculpto-

res Etrusci et architectae, quorum opera usi sunt imperatores Augustus, Traianus, Hadrianus.

Eorum auctorum et artificum operibus aspirata est summa elegantia formarum et vis antiquitatis nunquam interitura. Antiquorum mentes et artes informandorum hominum et excolendae vitae rationes ab antiquis initas ad extruendam arcem humanitatis absolutae, et illigatas adstrictis et solutis lapidum, imaginum, verborum mensuris aetates omnes admiratae sunt. Praeclara simplicitas antiquorum et tacita simul maiestas, ut ait Winckelmannus, non minus quam ebrium quiddam et daemonicum summa posteritatis ingenia incitavit semper, et incitat. Utinam qui nunc sunt ex antiquorum operibus et scriptis acutius cernant illas vires omnium effectrices, quibus et illae harmoniae artium exstiterunt! Huic imperio antiquitatis totum fere mundum complectenti quum etiam Palaestina provincia esset Romana, insita est religio Christi. Quae integra semper manens ipsa antiqui non modice sublevabatur commodis. Nam imperii vasta magnitudine et administrationis uniformitate et facilitate commercii Christianae doctrinae strata quodammodo via erat, ut celeriter in omnes partes proferretur. Acceptaverunt Christiani imperii linguam et communia humanae naturae bona: ut philosophicas notiones et nomina, ut artium et litterarum studium, ut rationem et formam externae temperationis. Itaque Ecclesia per complura saecula utens antiqui bonis proficiebat in suo munere, et quantum licebat, antiquitatem ad vitam Christianam transformabat. Ita antiquum valebat non nihil ad conformandam externam vitam Ecclesiae, nihil addidit ad summam veritatis acceptae divinitus.

Antiquitatis philosophia et poësis et ars re et forma plurimum valebat ad explicandas omnes litteras et artes posteriorum. Quae reliquis saeculis effecta sunt opera

epica, lyrica, tragica, comica, quae in philosophia, quae in arte dicendi ceterisque artibus effecta sunt, in antiquorum operibus tamquam in fundamento sunt posita, ut hic cultus, haec humanitas, quam nos accepimus, intime cohaereat cum antiquitate.

Sed qui hanc magnitudinem et maiestatem antiquitatis neglecta religione Christiana summam putet vitae imaginem, vehementer erret. Nam qui antiquum formam absolutam humani cultus faciant, consulto non videre videantur antiquos tum in philosophia tum in moribus vehementer aberravisse, eorum cultum temperari non nihil etiam biologia illarum gentium propria, antiquorum cultum necessario compleri religione Christi. Ut ethnici non unum opinantur deum esse eumque hypostaticum, non vident ligari sese communali quo morum vinculo, incerta tantum parumque explicata sentiunt de illa vita hominis, quae post hanc est futura, de origine et de immortalitate animorum; omnia caeco putant parere fato. Rem publicam Graeci et Romani loco dei habebant et probabant indignam servorum condicionem.

Et haec quidem illa pagina proponuntur. Qui illam scripsit, postea repetit quanta etiamnunc dominatio antiquitatis sit: ita scilicet, ut etiam hodie homines illis exemplis erudiri oporteat. Ter homines conatos esse redire ad antiquum: primum Carolo Magno regnante, deinde saeculo quadraginta decimo *humanismum* exstitisse et renascentiam, tertium conatum fuisse *neohumanismum* et *classicismum* in aliis nationibus alium. Ut in litteris et artibus reditum esset ad antiquos, sic in religione etiam a quibusdam rationi soli vindicatum esse principatum, contempta revelatione, contempta Ecclesia, excogitata esse religionem naturalem, qua humanitas absolveretur et pulchra anima existeret.

A. HABERL.

AD SANITATEM TUENDAM

In conservanda sanitate potior ratio habenda est ventriculi et intestinorum, ut nempe ipsa chylicatio in ventriculo rite et ex voto peragatur, atque digestio et secretio ex intestinis quotidie promoveatur. Quo decantata illa medicorum regula spectat: «Vitia coctionis primae nullibi corruguntur»; hoc est, illud quod attenuari, secerni, exaltari aut subigi debebat in ventriculo et intestinis, si primam illam coctionem subterfugerit, etiamsi ad sanguinem devenerit, nullibi tamen viriditatem, acorem aut alium saporem peregrinum et excrementi naturam, deponet. Et ausim dicere, omnes fere morbos, praesertim chronicos, scaturigines suas habere in primis viis, ut eo maiori cum sedulitate acidum illud vitale in ventriculo, et balsamicum amarum in intestino duodeno, quantum quidem possibile est, in mediocri statu conservare debeamus. «Omne enim nimium est naturae inimicum». Hoc est «consuetus aether» non fert eiusmodi remedia vel alimenta, quae poros nimium immutant, aut alium fluidis conciliant ordinem et motum.

Deinde quum consuetudo sit altera Natura, etiam non temere recedendum est a tali consuetudine. Nam «consueta longo tempore etsi deteriora sint, minus molesta esse solent». ¹ Consuescere autem nihil aliud dicit, quam non amplius alterari. Hinc fieri potest, ut cibos consuetos, etsi difficiliores sint, melius feramus, quam cibos melioris notae; tam diu enim illis usi fuimus, ut non amplius alterent; hoc est, tot nunc in sanguine reliquerunt particulas, ut non solum nulla amplius ex adventu chyli minus temperati percipiatur lucta et pugna cum consueto aethere, sed quod ipsum etiam fermentum ventriculi

ex similibus partibus constet, et ob porrora similitudinem se eiusmodi alimentis citius insinuet, quam aliis. Male itaque consuleretur si quis illos, qui assuetis cibis durioribus, aut nicotiana suctioni, statim ad contrariam diaetam cogere vellet, quia subitaneae mutationes sunt periculosae, et peregrinus aether subinde habet naturam filii, qui etsi prodigus sit, nunquam tamen cum impetu eiici debet, quin potius in contrariam viam blande et sensim flectendus. Natura enim vult duci, non cogi.

Porro sicut iniuria fit illis, qui secundum apices iuris iudicantur, quia summum ius est summa iniuria, ita summa est miseria scholastice vivere et palatum strictissimae diaetae legibus submittere. Plus saniae latior diaeta confort tuendae valetudini, quam si ad scholae Salernitanae rigorem exigatur. Neque enim negari potest, illos qui strictissimae diaetae addicti sunt, casu aliquo incidente plerumque gravius aegrotare, nec tam facile restitui posse. Unde non male Celsus: «Sanus homo et qui bene valet, et sua sponte est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico neque Alipta egere. Hunc oportet varium trahere vitae genus, modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigari, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere, siquidem et ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere; modo plus iusto, modo non amplius assumere; bis de die potius, quam semel cibum capere, et semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat».

Quamvis autem illi, qui integra gaudent valetudine, sibi rarius medicari debeant, immo iuxta Hippocratem, nunquam beneferant medicationes severiores, non te-

mere tamen et haec praesidia contemnda erunt, praesertim vernali tempore... De fortioribus vero remediis longe aliter ego sentio; siquidem quandoque pro medicina erit non uti remediis. Unde non possum non illorum mirari liberalitatem, qui quamcumque data occasione etiam bene valentibus sua obtrudunt arcum, et sub specie alicuius providentiae homines obtorto quasi collo ad pharmacopolia mittunt, quasi ibi vita longa venalis prostet, non attendentes medicinam instar gladii in manu imprudentis ad utrumque esse paratam.

I. I. WALDSCHMIDT.

ANNALES

Austria Germanicae reipublicae adiecta

Post Austriaci Cancellarii Schuschnigg orationem, de qua in superiore Europaeorum eventuum hac recensione nostra mentionem fecimus, quum is populiscitum die IX mens. Martii necopinato edixisset ad probandas rationes de libertate, unitate, pacificatione et opera a gubernio praestitas, huiusmodi consilium Germanorum Cancelario nec opportunum nec a studio partium vacans est visum, tum ob breve tempus ab inductione pro populiscito statutum, tum maxime quod a suffragio iuvenes excluderentur, qui nondum vigesimum quartum vitae annum attingerent, quorum plerique partis adiectioni Austriae ad Germaniam faventis sectatores essent. Inde factum est, ut Austrorum Cancellarius, insequenti die XI, diem populisciti proferret atque declararet, quum a Germanicae administratiois praepositis quae situm esset ut novum sibique acceptum administratorum collegium in Austria constitueretur, sin minus Germanicae copiae ad rem interventurae essent, sese a munere suo abdicare. Tum nova est in Austria constituta rerum praefectura, moderatore Seyss Inquart ex «na-

tionalium socialistarum», quam nuncupant, parte, cuius nuntius his verbis concludebatur: «Metam attigimus: populum unum, civitatem unam, ducem unum!». Prima diei XII luce, Germanorum militum acies, belli apparatu instructae, ex omni a Germania transitu in Austriam proficiscebantur; centum autem et viginti aeronaves Germanicae quingentos milites in Vindobonensi aerodromo exponebant; horis denique postmeridianis Hitlerus, supremus Germanorum dux, ipse Austriam ingrediebatur, natale solum Branau, a quo annos quindecim aberat, primum attingens, deinde Linciam, demum, die XIV, triumphantium more Vindobonam, ubi Austriam Germanicae reipublicae provinciam factam esse edxit; edixit et populiscitum in diem X proximi mensis aprilis. Tum administrorum collegium haec lege confirmabat, decernebatque duarum civitatum iurum coagmentationem exercituumque coniunctionem.

Inter Poloniam et Lithuaniam discri- men

Vetus inter Poloniam et Lithuania dis-
cidium ob nonnullos casus qui ad duarum
civitatum fines intercesserant, vehementer
est auctum; sed feliciter brevi compo-
sum, nonnullis circa fines certis regulis a
Polonia positis et a Lithuania acceptis.

Hispanicum bellum civile

«Nationalistarum» copiae hostium mu-
tationibus in Aragonia direptis, et hanc
civitatum fines intercesserant, vehementer
est auctum; sed feliciter brevi compo-
sum, nonnullis circa fines certis regulis a
Polonia positis et a Lithuania acceptis.

In Sinis

In Sinis Iaponii universa Sciansi provin-
cia in ditionem suam redacta, praeter Fla-
vum flumen processerunt; praeterea Su-

¹ HIPPOCRAT., Aphor., 50, S. 2.

chow urbem expugnarunt victoria arma quotidie in dies proferentes.

Inter Angliam et Italia colloquia

Auctore Chamberlain, Supremo Anglici gubernii administro, licet « Laboristarum », qui vulgo dicuntur, factio acriter adversante, colloquia inita sunt inter Anglicum Romae legatum atque exterarum rerum Italicum administrum, ad pacificum rerum statum antiquamque amicitiam inter duos populos restituenda; quae ut felici exitu coronentur, in totius Europae bonum, ex animo ominamur.

POPLICOLA.

VARIA

Qui cupit vel Rempublicam vel Sectatores suos diurna esse ea saepe corrigeret debet et veluti ad sua principia revocare¹

Internae causae emendandi rempublicam partim sunt leges publicae, de morum censura certo annorum intervallo instituenda, et corrigendis vitiis quae gravantur; partim exempla particularia quorundam virorum, qui singulari virtute praediti, ceteris documento esse volunt ad mores bene instituendos et vitia corrigen- da: tantundemque praestant in Republica atque leges. Ceterum qui huiusmodi legum statutorumque munere fungebantur in re-publica Romanorum erant Tribuni plebis, Censores, et quaecumque adversus ambitionem insolentiamque civium praepotentium decernebantur. Quae omnia nihil profuissent reipublicae nisi subinde exstis-sent aliqua heroica ingenia, quae exemplis ac reipsa praestitissent illa quae essent legi-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine verit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup.*

bus praescripta. Huiusmodi fuere ante captam a Gallis urbem supplicium de Brutis filiis sumptum, poenae Decemviris impositae, Spurii Melii caedes, et similia. Post captam urbem Manlii Torquati poena de filio sumpta, eo quod pugnasset contra imperatoris mandatum, Fabii Magistri Equitum accusatio a Papyrio Cursore instituta, eo quod praeter Dictatoris imperium pugnam commisisset, Scipioni dies dicta; quae omnia erant valde memorabilia, et horrendi propemodum exempli idcirco homines officii commonebant, ut ex legum praescripto vivendum sibi esse intelligerent. Quando autem huiusmodi exempla rariora esse coeperunt, occasionem dedere hominibus ut deteriores essent, utque haec vicia maiori cum periculo punirentur. Nam quum toto decennio nullum statuitur exemplum poenae delinquentium, obliviscuntur legum homines, et tot sunt, qui adversus eas peccant, ut non liceat quemquam sine magno periculo punire. In hanc sententiam dicere solebant qui Florentinam nostram rempublicam gubernarunt ab anno Servatoris nostri 1434 usque ad 1494: oportere singulis quinquenniis redintegrare formam reipublicae; alioquin enim non posse disciplinam conservari. Vocabantque reipublicae redintegrationem, quum hominibus in-cutitur idem metus poenarum, qui fuit a principio, quam caede tyrannorum et poena eorum, qui male se gessissent, libertas compararetur. Nam quum is in oblivionem abit, nihil non audent pravi homines atten-tare. Plurimum etiam faciunt ad emenda-tionem reipublicae eamque versus principia sua revocandam, exemplar virorum singulari virtute illustrium, qui nullis coacti legibus, sed sponte sua singularia quaedam exempla virtutis edunt. Excitant enim illa bonos viros ad imitandum, et malos a vitiis dehortantur. Huiusmodi apud Romanos fuere Horatii Coclitis pugna, Scaevolae ad regem Porsennam oratio et audax facinus, Fabritii, Reguli Attilii, et aliorum quorum-

dam memorabilia dicta factaque, quibus tamquam legibus quibusdam cives suos ad recte agendum vivendumque impellebant. Quod si singulis decenniis, vel huiusmodi spontaneorum virtutis exemplorum unum aliquod evenisset, vel secundum leges ex superioribus aliquod in delinquentem statuisserint, nunquam tanta morum corruptela potuisset civium animos occupare. Sed quia utraque rara esse tandem coeperint, aucta tantopere est morum corruptela, ut remedium nullum adhiberi potuerit. M. Reguli enim exemplum nullum tale exstitit usque ad tempora Catonum; itaque tantopere iam vitiis scatebat civitas, praesertim tempore posteriori, ut exemplo suo ad reformandum hominum mores parum aut nihil proficere possent.

Ad conservandas etiam sectas necesse est adhibere idem remedium, ut illae quasi renoventur, ad principia revocentur, et emendentur ... Id ut fieri queat, certis legibus statutisque providendum est, ne opus sit per vim peregrinam idem praestare. Nam etsi illa quoque nonnunquam salutaris sit, tamen usque adeo periculosa est, ut eam merito formidare oporteat.

Gallus glriosus

Fastu qui turget vano in probrum mox ruit.

Quarta vigilia stlis in gallinario
Clamosa vexat altile bipedum pecus,
Melior sit ales ova quae plura exprimat
An quae maiora: acerbat ira pectora,
Grex varia in studia scinditur volatilis.
Cristatus aege perfert ales iurgium
Oviparas verbis tandem et arguit acribus:
« Cani garrulitas vetuit vestra debitum;
Ni cantio, iam sol nequit resurgere:
Favete linguis temporis ut cucurriam.
Tegi orbem aeterna num vultis caligine? ».

Sorex, Passer et Milvus

Aliena gaudet qui nece ipse cit suam.

Vafer dum passer macro illudit sorici
Muscipula capto et crura ridet tenvia:

« Levipes, malesuada quo te ursit cupedia! ».
Maledicuum milvus uncis rapuit unguibus
Rostro et laniavit impiam impudentiam.

M. GIROTTA.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Farina subacta carne farta.

Sparus dentex elixus condimentis piperratis saporatus.

Botellus ex pisis.

Agnus assus cum lactucis agrestibus.
Libum Paschale.

locosa

Famulus publici cursus Tuccio telegramma reddit, ex ultima America a quodam eius consanguineo missum. Quod TUCCIUS aperiens:

— O electridis portentum! — clamat.

— Millaria tot terra marique folium hoc tam cito peragravit, ut eius labra gummi adhuc madentia praebeantur!

Tuccius in schola.

MAGISTER Tuccio: — Noe liberi quo profecti sunt quum alias ab alio discessit?

TUCCIUS: — Sem in Asiam, Jafet in Europam, Cam in Africam.

MAGISTER iocose: — Nemone in Americam?

— Ah!... Christophorus Columbus.

Aenigmata

I

Laurea digna mihi iuste datur hoste fugato.
Principium muta! Zeuxidis arte probor.

II

De tectis glaciem pendentem vox notat una
atque eadem terram vox notat Austriacam.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo mens. Februarii proposita his respondent: 1) *Mulus-Romulus*; 2) *Hector-Lector*.

LIBRORUM RECENSIO

AUG. POTUCEK: *Fontes litterarum Latinarum* (Reichenberg [Liberec] in Bohemia. Nordböhmischer Verlag, 1937).

Linguae Latinae in gymnasiis reipublicae Bohemico-Sloveniae novus nuper finis lege praescriptus est. Olim legebant discipuli solos praestantissimos scriptores aetatis aureae et argenteae, nunc autem degustare saltem iubentur specimina Latinitatis cum priscae, tum posterioris et recentioris; immo in orbem librorum legendorum assumenda sunt scripta ad artes quam elegantes tam vulgares spectantia. Paucis ut dicam: rationes aestheticae, quae quondam in lingua Latina docenda praevalebant, prorsus cesserunt rationibus historicis. His paeceptis convenienter edidit Aug. Potucek librum, cuius inscriptionem supra attuli. Destinatus est supremis classibus illorum gymnasiorum, in quibus discipuli nationis Germanicae ad humanitatem instituuntur. Insunt in eo specimina sermonis Latini ab elogio L. Cornelii Scipionis Barbati usque ad recentissimas litteras encyclicas pontificum Romanorum et ad programma balnearum Trencianarum in Slovakia nuper promulgatum. In materia conquirenda ex aevis medio et recentiore id maxime respiciebat Auctor, ut ea potissimum exhiberet, quae nosse deceret iuvenes Germanos eosdemque cives reipublicae Bohemico-Slovenicae. Totum volumen, crebris imaginibus scite distinctum, in sectiones dispergitum est partim temporum, partim argumentorum ratione habita; unicuique autem sectioni praemissa est praefatio de saeculorum et scriptorum, quorum documenta exhibentur, indole et Latinitate. Libro adjunctus est uberrimus commentarius, qui non solum *verba*, verum etiam *res* copiose explanat, ita ut farraginis cuiusdam instar paeferat diversissimarum doctrinarum.

Sed haec adnotasse satis sit. Accuratius librum aestimabunt, qui eo duce plures per annos linguam Latinam docebunt. Fortasse aliquid addendum, aliquid omittendum, aliquid mutandum vel corrigendum censemunt: fundamenta tamen ab Auctore iacta sane consensu suo comprobant. Nec minus laudabunt eius in conquirenda materia industriam in eaque explicanda subtilitatem.

F. P.

LIBRI DONO ACCEPTI

ALBERT GLEUMER, *Deutsch-kirchenlateinisches Wörterbuch*. (Edid. Dümmlers Verlag, Berlin und Bonn, 1937).

AUGUSTUS POTUCEK, *Fontes litterarum Latinarum*. (Reichenberg [Liberec]... Bohemia. Nordböhmischer Verlag, 1937).

ANACLETO TRAZI, *Edyllum Caecilianum* con versione metrica del Sac. GIUSEPPE FERRARI (Typis Seminarii Patavini Gregorianis, MCMXXXVII. — Ven. lib. 5).

FERDINANDO BERNINI, *Latino vivente*. Avviamento allo scrivere latino (Edid. Societas Editrix Internationalis Aug. Taur., Mediolani, Genuae, Parmae, Romae, Catanae, 1937 — Ven. lib. 20).

G. MORABITO, *La figura di Orazio nella poesia latina moderna* (Romae edid. Institutum Studiorum Romanorum, 1938).

LIBERA A PITTAIIIS RESPONSA

Cl. v. Ios. Mor...., *Messanae*. — Recensiones librorum, quos ad te iam a mense februario misimus, exspectamus.

Cl. v. H. L., *Hindeburgi*. — De pretio subnotationis tuae, quod accepimus, amplissimas gratias et habemus et referimus, eoque magis quod ab officio te solveramus. Non dubitamus quin ipse intellexeris rationes, quibus opportunum visum fuerit *versiones illas* in nostris paginis omittere.

Cl. v. ANDR. HAB...., *Tirschenreuth*. — Munera mihi obeunda ipsaque valetudinis meae condicio heu! impediunt quominus Budapestinum petam, itaque Latini Conventus, si congregabitur, particeps fiam. Nonne tu partes nostras agere valebis?... Crebriora tua scripta nobis tradenda pro tua humanitate cures.

Cl. VAL.... Feh...., *Höszeg*. — Non ingratiae nobis animadversiones tuae fuere; non omnibus vero iis assentiri possumus.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor*.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[25]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Pu. Edepol ego istuc non possum atque nevolo.

ME. En quam pusilli sunt patrum magnorum filii.

PU. Num etiam meae miseriae addis contumeliam?

ME. Esto vir, si vis te a med aestumarier.

PU. Iam bestiam, quae exuit humanitatem, non virum
Voluisti dicere. Etiam mare ventis motum fluctuat;
Lacum modo placidus lutosusque, immotus manet.

ME. Qui cogitat viriliter, internum in pectore

Recondit proelium. Tribune tu, quid cogitas?

Animusne patris, quom a vobis voluntate sua

Discedit, non graviter commotus est ac saucus?

PU. Heu vae tibi, consul, quod istuc admones.

ME. Altus hercle est eius animus, iam saepe in maxumo
Illum vidi certamine; at semper mirabar maxume,
Illius quom viderem animum, qui semper imperat sibi,

Finem luctandi facere; velut pelagus turbidum
Salipotentis Neptuni nutu solet residere

PU. Non sum deus neque vires divinas habeo,
Sed tempestate correptus huc illuc iaciор

Nec tempus habeo, ut resipiscam. Ubi receptaculum
Mihi inveniam? — ME. Perfecto officio subsequitur quies.

PU. Perfectum officium? Quidnam tu dicis officium?
Eheu, istaec me obtundit adpellatio.

Pater me exsecratur, quare tacitus suom caput
In manus occisorum tradi non sinam.

Ah si permitterem, qui me cruciaret intestina vox:
Fili sacer, interfector patris! Ne istanc vocem audiam.

Si vero matrem cogito... Non ea mortem patris mei
Feret, sed eum sequetur et me moriens exsecrabitur,
Et haec mi verba horrenda dicet ultima:

Tu pol occidisti patrem tu, istius filius.

Quod si ita fieret, ego, ut interfector, in feros
Homines occultarem me crudelissimos.

Noli, Metelle, consul, hoc me poscere.

ME. Edepol ego dolores, Publi, sentio tuos.

PU. Ergo, Metelle consul, me, cogo ted, adiuva.

Potes tu solus auxiliari et certe auxiliabere.

En ad pedis tibi, consul, me ipsum proiicio.

ME. Ne sis oblitus te Romanum civem vivere.